

# Observationes sacrae

Autor(en): **Steckius, J.R.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 21

PDF erstellt am: **13.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394689>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

(\*) OBSERVATIONES SACRÆ.

---

ARGUMENTUM.

§. I. Verbi ἐπιλέπειν Syntaxis ac usus apud Patres Græcos eccles. declaratur. §. II. Verbi ὑποφέρειν usum indicat, & de Inferorum CLIMATIBUS ex mente veterum disputat, eaque Diademata aliquando dicta esse observat. §. III. Siftit exempla animarum precibus ex inferis (non e Purgatorio) liberatarum. §. IV. Notat doctiss. GRABE παρερμηνείαν in Actis Theclæ Martyris. §. V. Medicinam adfert loco B. CLEMENTIS corrupto. §. VI. Locus B. IGNATII explicatur. §. VII. Alteri loco ex B. IGNATII Martyrio lux affunditur. §. VIII. Locus JUSTINI. M. emendatur, & doctiss. GRABII correctio rejicitur. §. IX. Locus IRENÆI de origine & usu Jejunii Paschalis statim hætenus perperam intellectus, restituitur & exponitur.

I.

**B.** CLEMENS in *Epistola* nomine Ecclesiæ Romanæ ad Ecclesiam Corinthi scripta, quam *Eusebius* (H. E. Lib. III. C. XVI. jure optimo μεγάλην τε καὶ θαυμασίαν, item (Lib. V. C. VI.) ἰκανωτάτην vocat. §. I. laudat Corinthiorum anteaactam πολιτείαν, ac inter alia juvenum institutionem; ait enim νέοις τε μέτρια καὶ σεμνὰ νοεῖν ἐπιτέλλε h. e. juvenibus ut moderata & honesta sectarentur, mandabatis. Erant Viri

C 2

Docti

---

(\*) Debemus has Observationes Virio pl. Vener. & Clariss. J. R. STECKIO, V. D. M. Ecclesiæ, quæ in Teuffelen colligitur, Pastori, nec non Classis Nidovien- sis Decano dignissimo: cujus etiam eruditæ Observationes plurimas vide TEMP. HELV. Tom. V. passim insertas.

Docti quibus verbum ἐπιτρέπω cum *dandi casu*, pro *jubeo*, *mando*, magnopere suspectum erat. Quod sane non mirum, cum in probatissimis Auctoribus vix ac ne vix hac significatione occurrat: At Scriptorum Ecclesiasticorum alia est ratio, in quibus id verbum cum *dativo* constructum pro κεύω haud raro usurpatur. Probe memini me quondam in Photii Bibliotheca hujusmodi exemplum notasse; verum cum id jam non sit ad manus, aliud proferam ex CONSTITUTIONIBUS sic dictis APOSTOLICIS lib. II. cap. XX. ubi hæc leguntur: *Sicut Dominus Deus bonus Pater noster qui . . . filium suum Pastorem bonum . . . misit ἐπιτρέψας αὐτῷ εἶσαι τὰ ἐννεήκουσα ἐννέα*, mandans ei *relinquere* &c. hinc iidem Auctores verbum κεύω adhibent pro ἐπιτρέπω *permitto*, cujus exemplum suppeditat idem *Constitut.* liber; Loquitur enim nomine Apostolorum lib. VI. c. XVII. in fine & edicit εἰδένι ἐν τῷ κλήρῳ κεύομεν ἢ ἐταίρων ἢ οἰκέτιν κ. λ. λαμβάνειν. i. e. *Nemini Clericorum permitimus* &c.

II. De Christi sanguine effuso affirmat. B. CLEMENS §. VII. Quod παντὶ τῷ κόσμῳ μελανοίας χάριν ὑπήνεγκεν vertit interpretes, *toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit*. Sed cum ὑποφέρω idem sit ac προφέρω, melius redditur *protulit* vel *in medium attulit*. Verum hoc leve est & exigui momenti. Transeamus ad alia.

Idem §. XX. magnifice loquitur de divina Mundi gubernatione, cui etiam ut par est, subjicit, *abyssorum investigabilia* & νεβύλων ἀνευδιήγητα κρύματα. Felicissime textum restituit qui legit κλίματα  
*tractus*

*tractus inenarrabiles.* Nemo fere est qui nesciat, *Climata* apud Geographos telluris quasi fascias esse, intra duos parallelas contentas: Noster autem loquitur de *Climatibus* *νεπέλω* *Inferorum* vel *Subterraneis*, ad instar eorum quæ in terræ superficie notantur; Qui inferorum tractus, non inepte in SS. *Perpetuæ & Felicitatis Passione*, vocantur *Diademata*, quod enim græce *Diadema*, id latine est *fascia*; a *διαδῆω* *circumligo*. Sed præstat ipsa *Passionis* verba adducere: ait ibi (§. VII.) *Perpetua* se in *Oromate* i. e. *Visione* vidisse *Dinocratem* fratrem suum jam pridem mortuum, *exeuntem de loco tenebroso*, (*ubi & Complures erant*) *æstantem & sitientem valde &c.* deinde addit *& inter me & illum grande erat diadema, ita ut uterque ad invicem accedere non possemus.* Ex quibus patet *Climata* hæc, ex vetusta Gentilium & Christianorum Philosophia, incolis nequaquam fuisse destituta; affirmat enim *Perpetua*, quod ibi *complures* fuerint: quippe illis, teste coævo *Tertulliano*, deputabatur & *Sinus Abrahæ*, ubi *justorum Refrigerium*; & *locus tormentorum*; quamvis magnum intercedat regiones istas profundum, & transitum utrumque prohibens. Haud dubie Veteres Christianorum, non dissimulante *Tertulliano* (*contra Marcion. lib. IV.*) hæc ab Ethnicis hauserunt. Verum posterior ætas longius processit; Curaque & diligentia Scholasticorum effectum est, ut *νεπέλω* illa *Climata*, ab ipsis *limbi* vocata, longe frequentiora evaderent, nam unanimi consensu docent; quatuor esse tractus vel regiones, in quibus animæ mortuorum commorantur, nempe omnium infimam, ubi dæmones & animæ damnatæ; Supra hanc, ubi animæ purgantur; deinde ubi habitant animæ mor-

tuorum in solo peccato originali; postremo esse regionem, incolis nunc vacuum, qua olim animæ Patriarcharum degebant, quæque in Evangelio nominetur *Sinus Abrahæ*. Hem! quam accurate isti homines omnia hæc subterranea perno-  
 scunt? interim tamen horum Inferorum Geogra-  
 phia a Tertulliani toto, quod ajunt, Cælo dis-  
 crepat: Is enim *Tertullianus* regionem quæ sub  
 nomine *Sinus Abrahæ* venit, ut valde suo ævo fre-  
 quentem & incolis refertam prædicat; quippe in  
 qua *Refrigerium animabus justorum, donec Consumatio  
 rerum, resurrectionem omnium plenitudine mercedis ex-  
 pungat*: imo tempore ejus duæ Regionem, nimi-  
 rum ubi animæ purgantur, & altera ubi commo-  
 rantur in solo peccato originali mortui, nondum  
 detectæ erant. Si quis autem nostro *Clementi* talia  
 affingeret, næ is falleretur, non enim fuit tanti  
 acuminis Vir, sed paululum simplicior, quippe  
 Apostolorum *φοινήτης* itaque per *νεφέρων κλίμαθα*  
 intelligebat *Mundum subterraneum physicum*, per  
 varios tractus divisum, in quo sane multa mira-  
 bilia naturæ continentur, plurima etiam quæ ad  
 omnium notitiam nunquam pervenere; qui pro-  
 fecto juxta aspectabilem *τοῖς ἀβύσσοις συνέχεται προ-  
 σάγμασιν*. h. e. *eisdem providentiæ divinæ Legibus con-  
 stringitur*.

III. Cum inciderit mentio PASSIONIS PER-  
 PETUÆ forte operæ pretium erit observare insig-  
 ne Exemplum animæ precibus ex inferis reductæ  
 in Dinocrate, qui puer septennis gangræna extin-  
 ctus obiit, ac precibus Perpetuæ Sororis Oromate  
 monitæ gehennæ tormentis ereptus fuit. Pluri-  
 ma enim suadent, tormenta ab eo in loco tene-  
 broso

broso perpeſſa, minime ad purgatorium pertinere; Secus ac alibi, etſi cum repugnantia quadam ſtatui. Suadent id ſequentia. 1.) In Paſſione ſupra dictæ Martyris nullum pueri Dinocratis baptiſmi vel Chriſtianiſmi extat monumentum; etſi Perpetua curioſe recenſeat paternæ familiæ ſtatum, ſaltem quoad Chriſtianiſmum. 2.) Univerſa memorati pueri ſcena plene adaptata eſt parabolæ divitis epulonis & Lazari Luc. XVI. ut cuius legenti patebit. At quis dicet Epulonis tormenta purgatoria tantum fuiſſe? 3.) Perpetuæ Martyris ævo purgatorium ignotum erat; Saltem *Tertullianus* ejusdem ſeculi ſcriptor, qui primus hujus *Paſſionis* mentionem facit, forte etiam Elogii frontiſpicio ornavit, Eccleſiæque propinavit; binas tantum Commorationes ſubterraneas vel animarum receptacula novit, ut ex ſupra allegatis palam eſt. 4.) Cum itaque Perpetua de Purgatorio cogitare non poſſet, habuit illa tamen exemplum vetuſtum precum ex gehenna redimentium, *Thecla* nimirum, muliebris Sexus Protomartyris, cujus *Acta* etiam apud Latinos, teſte *Tertulliano*, tunc temporis celebrata erant. Ea *Thecla* exorata a *Thryphena* nobili ſœmina, in cujus *Cuſtodia* illa poſita magnis maſtata fuit officiis, pro *Falconilla* *Thryphenæ* filia in Ethnicismo mortua preces ad Deum fudit, ut transferatur in locum refrigerii; efflagitabat autem hoc mater a *Thecla*, monitu umbræ filiæ mortuæ. Agnoſce quæſo archetypum? Cæterum nec *Thecla* petitioni deſuit, nec precibus ejus felix eventus; ut ejus *Acta* (apud Doct. GRABE *Spicileg. Patrum* I. Sec.) docent.

IV. Occasione *Aetorum Theclæ* notare lubet, Doctiff. GRABE statim in hujus libelli limine male Auctoris mentem percepisse vel saltem obscure reddidisse. Sed præstat Auctoris narrationem audire, qui ita incipit: „Ascendente Paulo Iconi-  
 „ um post fugam ab Antiochia, adjunxere se ei  
 „ comites Demas & Hermogenes ærarius, Viri  
 „ pleni hypocriseos, Paulus vero solam Dei bo-  
 „ nitatem respiciens ἐδὲν φαῦλον ἔποιεῖ. Vertit  
 „ Grabe *nihil mali faciebat.* „ Quanto melius ve-  
 tus Interpres semibarbarus qui reddit, *nihil mali*  
*de illis suspicabatur*; sed diligebat eos valde. Reapse  
 enim Auctor id vult; Paulum nil in malam par-  
 tem sumsisse propter sinceram dilectionem, qua  
 eos prosequabatur.

V. Sed ut redeat Stylus ad B. CLEMENTEM:  
 is §. XLII. diserit, quomodo Apostoli Evan-  
 gelii Ministerium constituerint; Ait enim Aposto-  
 los per regiones & urbes verbum Dei prædican-  
 tes, primitias ministerii sui, Episcopos & Diaco-  
 nos credentium constituisse, deinde, (postquam  
 §. seq. docuisset id factum fuisse ad veteris Eccle-  
 siæ judaicæ imitationem;) §. XLIV. affirmat A-  
 postolos ipsos Evangelii ministros ob id constituisse  
 ne contentio oriatur ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς Ἐπισκοπῆς,  
 ac postquam semel constituissent μετὰ ἐπινομήν  
 dedisse. Magno conamine laborarunt Viri docti  
 cum in explicatione, tum in correctione vocis  
 ἐπινομῆς, tam infelici & frustraneo eventu, ut alii  
 utrumque pro desperato habuerint; Reapse qui-  
 dem interpretatio vocis nihili irrito conamine  
 instituitur, correctio vero ejus plane non ita dif-  
 ficilis, nedum pro desperata censenda est, cum  
 met-

metathesis unius litteræ rem restituat: itaque scribi & legi oportet, non ἐπινομὴν sed ἐπιμονὴν δὲ δώκασιν, ut diceret τὸ ἐπίμονον δεδώκασιν. Est enim ἐπιμονὴ *continuatio vel duratrix firmitas*; qua significatione *Plutarchus* (*de sera Numin. Vindict.*) dicit ἐπιμονὴν τῆς ψυχῆς quod aliàs etiam διαμονὴν vocat. Dederunt autem Apostoli hanc ἐπιμονὴν i. e. *stabilem continuationem per Cooptationem*, jubendo, *ut in defunctorum locum alii succedant*: prout ipse *Clemens* explicat.

VI. Cum B. IGNATIUS Patrum sit vetustissimus qui exortium Episcoporum faciat mentionem; haud abs re erit locum ex eo proferre, sæpissime quidem ventilatum, hæctenus tamen, ut opinor, in versione non plene redditum. In *Epistola ad Magnesios* non interpolata, Ignatius laudat *Damam* Magnesiorum Episcopum virum juvenem; Hortatur etiam Magnesios (§. 2.) ut eum propter suam juventutem non minoris faciant, sed debito honore prosequantur: Verba S. Martyris ita sonant; Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τῆ Ἐπισκόπου. ἀλλὰ κατὰ δύναμιν Θεῶ Πατρὸς πᾶσαι ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν· καθὼς ἔγνω καὶ τὰς ἀγίας Πρεσβυτέρους ἔ προσειληφότας τὴν φαινόμενην νεωτερικὴν τάξιν. ἀλλ' ὡς φρονίμως ἐν Θεῷ συγχωρεῖν αὐτῷ. h. e. secundum veterem Interpretem; *Sed & vos decet non conti ætate Episcopi; sed secundum virtutem Dei Patris reverentiam ei tribuere: sicut cognovi & sanctos Presbyteros, non asumentes apparentem juniorem ordinem; sed ut prudentes in Deo, concedentes ipsi.* Quæ versio non est indocta; συγχρᾶσθαι reddit *Conti* h. e. *promiscue uti & per consequens, non debita reverentia.* Νεωτερικὴν τάξιν



τάξιν per *juniozem ordinem* ad designandum eum qui per ætatem junioribus accensetur, aut ordinationem juvenis. Quid autem Interpres intelligat per ἔ προσειληφότας non *asfumentes* fateor me non intelligere; nisi forte per ellipsin voluerit dicere, non (in mentem) *asfumentes*: Prout προσλαμβάνω explicatur per πρὸς νῦν λαμβάνω in *animam sumo*, HESYCH. πρόσληψις, γνώσις. SUIDAS προσειλήφισαι • ὑπέλαβον, ἐνόεν. Quicum convenit Interpolator vertens ἐκ ἀφορῶν τῆς νεότητος • *Juventutem non respicientes*: Quem sensum verbi haetenus secuti sunt Ignatii editores. Est tamen alia hujus verbi significatio ex stadio desumpta, haud paulo, opinor, aptior; qua προσλαμβάνω notat *Cursu prævertō*. Lexicographus haud ignobilis: προσλαμβάνω • κυρίως λέγεται ἐπὶ τῶν δρομέων, ὅταν παρελαύνωσιν ἀλλήλους οἱ δρομεῖς πρόδρέχοντες. i. e. proprie dicitur de Cursoribus, quando Cursores se invicem præcurrendo antevertunt. Ac si B. Martyr dicat: *Sicut cognovi nec sanctos Seniores (Ecclesiæ) prævertisse (vel antevertere tentasse) Virum, quantum ad apparentiam, junioris ordinis; Sed ut prudentes, (non prudentia stadii secularis, verum) in Deo, ipsi cessisse.*

VII. In ejusdem IGNATII Martyrio occurrit locus multo infeliciori fato ab Interpretibus exceptus; extat is §. VII. ubi refertur S. Ignatii socios, statim post gloriosum vitæ suæ exitum, domi multis lachrymis ac precibus noctem pervigilem consumpsisse, orantes Dominum ut ipsi loquantur, πληροφορηῆσαι τὰς ἀδελφεῖς ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς προγεγονόσιν • quæ *vetus interpres* reddit: *Certificare infirmos nos de prius factis.* Thom. SMITH. *ut nos infirmos*

*infirmos certiores faceret de iis quæ prius acta fuerant.*  
 RUINARDUS fere eodem modo: *ut nos infirmos, de iis quæ facta fuerant, certos faceret.* Ast quæso, qua ratione hæc constare possunt! Socii B. Martyris modo asseveraverant, se eorum, quæ cum S. Ignatio gesta erant, testes fuisse oculatos; Ajunt enim, τέτων ἀυλόπλαι γερόμενοι, cur jam enixis precibus petunt, ut eos hac de re tanquam dubia Deus faceret certiores. Explicat Celeb. CLERICUS, orasse eos ut Deus ipsis plenam fidem faceret accepti Deo Ignatii Martyrii; verum ipsemet conjecturæ suæ diffidens; cum doct. GRABE, argumentum vel saltem suspicionem νοθείας hujus Martyrii clausulæ vult inducere: verum frustra! Præpositio enim ἐπι cum Dativo sæpe per significat, ut *Philipp. III. 9. ἐπι τῇ πίστει per fidem* consensu Interpretum. vide & *Marc. IX. 39. Hegefypus*, (apud *Euseb. H. E. lib. II. c. 23.*) de S. Jacobi testimonio, D. JESU publice Hierosolymis reddito, ait πολλῶν πληροφορηθέντων - - ἐπι τῇ μαρτυρίᾳ. i. e. juxta H. VALESIUM, *cum multi hoc testimonio* (h. e. per hoc testimonium) *confirmati* fuissent. Vera itaque interpretatio est: *Orantes Dominum ut nos adhuc* (ad tanta sustinenda) *infirmos per modo gesta confirmet.*

VIII. JUSTINUS MARTYR in operibus editis satis amplam præberet observationum messem, haud exceptis Apologiis ex accurata Doct. Grabe editione. Verum cum textus Correctiones Criticæ plurimis afferant tædium; Hac vice unicam tantum ex I. Apologia apponam. Queritur S. Martyr §. XXXII. quod, cum in Orbe Romano tanta Religionum diversitas toleretur, Christi-  
 ani

ani soli ob Cultus discrepantiam tanquam malefici ad necem rapiantur: Atqui, inquit, id unicum nostrum crimen; *Nos non eosdem vobiscum colere Deos, neque mortuis libamina & nidores adipum καὶ ἐν γραφαῖς σέφανες καὶ θυσίας offerre.* At quales sunt & quid significant ἐν γραφαῖς σέφανοι? Corrigit Doct. GRABE ἐν ῥαφαῖς, putatque id eleganter dictum pro ῥαπλῆς σέφανες i. e. *sutiles coronas*. Sed pace Viri Docti hoc non est emendare, sed divinare: Equidem Coronas sutiles non ignoro, Salliorum enim sacris ac cœnis solemnes erant, teste PLINIO *Hist. Naturæ* lib. XXI. §. VIII. Verum Christiani non tantum *sutiles Coronas*, aut *longas Coronas* L. L. XII. Tab. prohibitas; Sed omnes a mortuis removebant Coronas; *Nec mortuos coronamus*, inquit O<sup>st</sup>avius Christianus apud MINUC. FEL. §. XXXVIII. Qua morum diversitate effectum ut odii humani generis accusarentur Christiani. Alia igitur via insistendum & pro γραφαῖς levi mutatione scribendum ραφαῖς, ut dicat, *nec in exequis coronas & hostias offerre.* Haud dubie Pietas M. Antonini Aug. erga Viros Claros pridem defunctos, causam Christianorum longe exosiorum faciebat, quippe qui, teste Capitolino; *tantum honoris Magistris suis detulit, ut .. Sepulchra eorum aditu, hostiis, floribus, semper honoraret.*

IX. Controversia haud spernenda hodieum agitatur de Origine statutorum jejuniorum a Christianis observatorum, maxime autem de jejunio quadragesimali: Cujus omnium Consensu vetustissimum extat monumentum in *fragmento Epistolæ a S. IRENÆO Lugdunensis Ecclesiæ Episcopo, ad Victorem Episcopum Romanum exaratae; Qua Victorem horta-*

hortatur ne propter feriæ Paschalis diversas opi-  
niones integras a Communionem abscindat Ecclesi-  
as. In qua Epistola post multa alia, referente EU-  
SEBIO H. E. lib. V. C. XXIV. his etiam utitur  
verbis; Neque enim de die solum Controversia  
est, sed etiam de forma ipsa jejunii, *οἱ μὲν γὰρ  
ἄσιν μιᾶν ἡμέραν δεῖν ἀσιν νηστεύειν • οἱ δὲ δύο • οἱ  
δὲ πλείονας • οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ  
νυκτερινὰς συμμετρῶσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Quomo-  
do autem posteriora verba interpungi & verti de-  
beant, magna inter doctos lis est. Interpretatur  
Rufinus: *Quidam enim putant uno tantum die obser-  
vari debere jejunium; alii duobus, alii vero pluribus;  
Nonnulli etiam quadraginta; ita ut horas diurnas no-  
cturnasque computantes diem statuunt.* Lectionem  
hanc & interpunctionem secuti sunt Joh. Langus,  
Nicephori Interpres doctissimus, Christophorus &  
Henr. Savilius; Quorum etiam vestigia premit Be-  
veregius, Ecclesiasticarum Constitutionum acerri-  
mus Satelles. Econtra MUSCULUS Theologus  
Bernensis, ut & Henr. VALESIIUS, Codicibus  
freti, aliter distinguunt, legentes postrema verba:  
*Nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis  
computatis diem suum metiuntur.* Utraque pars dis-  
sidentem magnis & ineluctabilibus premit diffi-  
cultatibus. Priores angit quæstio; Quinam illi  
sint qui jejunando horas diurnas nocturnasque  
computantes diem statuunt; Num qui unico die,  
vel pluribus, vel etiam quadraginta in jejunio  
transigant? Respondet Beveregius; Omnes: At si  
hoc verum Irenæus deserit suam thesin de ἀμφισβη-  
τήσει τῆς εἰδὸς τῆς νηστείας *Controversia formæ jejunii;*  
proinde male subjungit καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία  
τῶν ἐπιτηθέντων, *talis quidem in observando jejunio  
varietas.*

*varietas.* Saltem si ipsi propositum fuisset, quod demum convenirent, docere; Omnino scripsisset ε' μὲν ἀλλὰ πάντες ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς κ. τ. λ. Sed quod palmarium, quomodo possibile est, plures dies, nedum quadraginta jejunando, per nocturnas æque ac diurnas horas emetiri? cum Christianorum primævorum jejunia consisterent in omni cibi abstinentia. Verum nec *Musculi & Valesii* lectio, etsi melioribus Codicibus freta, benigniore utitur fato: Qualis enim dies ille quadraginta horis diurnis ac nocturnis commensuratus? At præter objectiones quibus se mutuo ad incitas redigunt utriusque interpunctionis Patroni, accedit magna difficultas quæ utrosque pariter & exæquo stringit, videlicet insana illa & barbara Constructio verbi *συμμετρεῖν* cum duobus Accusativis; ut enim latine dicimus *diem horis commensurare*, ita græce, ut notum est, ὥρας τὴν ἡμέραν συμμετρεῖν. Quod profecto Viros longe doctissimos monere imo convincere debuisset, laborare textum & manum medicam implorare. At dicet quis; Intercedit Codicum consensus; *Nicephori & Rufini* Auctoritas? audio, verum quancumque hæc sint momenti, locum nostrum nec sanum nec integrum præstabunt, quocumque enim modo interpungatur, nil sani producit, nec unquam quisquam ita græce scripsit, nedum *Irenæus*, Vir doctus & cui lingua græca erat vernacula. Codicum Consensus, *Rufini* Auctoritas tantum probant, vitium antiquum, & Scripturæ apices sine mutatione esse servandos; omnigenam vero Contextus nequaquam præstant integritatem, ut saltem non deficient duæ aut tres litteræ. Notum est illis qui talia tractant, quod  
fi

si duæ similes voces non longe a se invicem distent, unam ex illis facile effugere describentis attentionem, proinde excidere; Idem evenit loco quem ventilamus, excidit enim post ὥρας - - νυκτερινὰς vocula ὥρα. Qua restituta omnia plana & integra erunt, postremaque periodus χωρίς sic se habebit οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς, ὥρα συμμετρῶσιν ἡμέραν αὐτῶν. i. e. *Nonnulli quadraginta horis diurnis ac nocturnis (putant observari debere jejunium) horæ commensurant diem suum.* Irenæus enim jejunii diversitatem commemorans a diebus transit ad horas, indicans, existere qui quadraginta horis continuis jejunio se macerent, de quibus, (relatione habita ad quadagesimæ observatores,) dici possit, *diem suum horæ adæquare.* Correctionem hanc, quæ sua evidentiâ se probat, ἀξιώπισον etiam reddit, simulque residuos de Codicum Consensu scrupulos tollit σύνοψις τῆς εὐαγγελικῆς ἱστορίας, in quam B. RHENANUS (in *Præf. ad Rufinum*) se incidisse refert, citante ipso Beveregio: ubi Irenæi verba sic leguntur: οἱ μὲν γὰρ μίαν μόνον ἡμέραν ἐνήσειον· οἱ δὲ δύο· οἱ δὲ πλείονας· οἱ δὲ μὲν ὥρας μόνας ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς· ὥραν ἀντὶ ἡμέρας νηστεύοντες. Ex quibus patet Auctorem Synopsis legisse in suo Codice, prout legi oportere contendo.

Cum de Correctionis veritate jam constet, non abs re erit hæc verba unâ cum reliquis Irenæi fragmentis penitus considerare; Quæ nos docent tum temporis, imo longe antea, feriatum fuisse in Ecclesia jejunium Paschale, idque, saltem a Christianis quam plurimis, per quadraginta dies; Ait enim fuisse qui jejunii sui dies, horis com-  
mensu-

mensurarent. Patet etiam tunc temporis nullam fuisse normam vel legem, quæ illius durationem definiret, proinde in ejus observatione magnopere variatum fuisse: porro discrepantiam hanc non ex ἀταξία quadam, nec heri aut nudius tertius, sed diu antea exortam; statim enim verbis supra examinatis subjungit καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρέωντων, ἢ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγонуῖα. ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβῆς, ὡς εἰκὸς κρατέωντων, τὴν κατ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. quæ omiſſis aliorum Interpretationibus, ita verto: *At hæc Observantium varietas, non nostro primum tempore nata est; Sed longe antea Majorum nostrorum ævo. Qui, ut verisimile, non ad normam quandam exactum jejunium observabant: Proinde modum hunc simplicem ac vulgarem, in posteros traduxerunt. Postremum patet Christianos omnes, quocunque demum modo jejunia sua celebrarent, pacem tamen Ecclesiasticam inter se sartam tectam retinuisse: Ait enim Epistola: Nihilominus tamen Ἐ omnes isti pacem inter se retinuerunt, Ἐ nos invicem retinemus, καὶ ἢ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, ita jejuniorum diversitas Consensuonem fidei conservat.* Quibus perpensis nemo non videt, nisi cui jam præjudicatum; nihil ab Apostolis de his statis jejniis fuisse constitutum. Præterquam enim quod talis νομοθεσία abludat a libertatis Evangelicæ genio; cujus libertatis strenui extitere vindices Apostoli; Quis Christianorum a tramite ab illis ostenso discedere ausus fuisset, Quis declinantes tulisset, nedum pacem Ecclesiasticam cum ipsis coluisset?

T A N T U M.

Dis-